



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Otiositas periculosa est, eo quia vitiorum nutritiua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

non ita difficile, si non ex habitu, sed ex accidente aliquo (puta odio inimici) obstinationem elegit: quoniam transeunte accidente illo curabilis est. Habitus autem tanquam connaturalis factus, difficillime abicitur.

*Otiositas periculosa est, eo quia vitiorum nutritiua.*

Otium seu otiosum ad vitia translatum est, quod caret necessitate aut utilitate, extenso utilitatis nomine. Et hoc constat esse peccatum, quia à recta dissonat ratione aliquam humanam operationem aut omissionem non regulari ratione recta. Si tamen otium aut otiosum sit nudum (hoc est nihil aliud deformitatis habens nisi otii) veniale est. Fugiendum tamen est valde otium, tanquam dans aditum malis, præcipuè malarum cogitationum cupiditatum, machinationum &c.

Scito tamen laudabile esse otium internum & externum, ad quietem & creationem naturæ intentum: quoniam & hoc habet recta ratio: ut lassis detur requies, sicut & somnus.

*Odire bonum peccatum est in spiritum sanctum, & omni rationi & naturæ contrarium.*

Odium boni, peccatum est: quia actus voluntatis habet materiam repugnantem. odii enim materia est malum, sicut amoris materia est bonum. Summi autem boni (quod est Deus) odium grauissimum est scelus: quum nihil sit in Deo, quantum est ex se odibile, utpote pura bonitas, proximi verò aut etiam suis odium peccatum est mortale ex suo genere: utpote directè charitati contrarium: nisi ob imperfectionem actus sit peccatum veniale, vel quia non